AD EMINENTISSIMOS CARDINALES PRO COMITE LUDOVICO CALINO CARDINALI NOVISSIME ELECTO...

Domenico Mori



AD EMINENTISSIMOS CARDINALES

Pro Comite

LUDOVICO CALINO

CARDINALI NOVISSIME ELECTO

ORATIO


AUCTORE PRESBYTERO

DOMINICO MORI

CREMENSI CLERO

SIC DISPONENTE ANNO MDCCLXVI.





PLACENTIÆ

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI TEDESCHI.

SUPERIORUM PERMISSU.





Uod jamdiù optaveram, Eminentiſſimi Eccleſiæ Proceres, de Clariſſimo ſummoque Viro in medio veſtrum collocato, honoribus aucto, ac dignitatibus, verius permulta, quam ſatius in hanc producere lucem, id mihi commodius efficere, neſcio quæ ſecunda fortuna, aut proſperum fatum indulſit. Et quamvis eam mihi placatiorem illud æquius periclitari enixè, ſed fruſtra curaverim; de præteritis tamen injuriis nil mihi dolendum reliquit; dum anteacti ævi noxas in hodierna gaudia, ac felicitatem commutavit. Jam videtis de Brixienſi Clariſſimo Cive, Ornatiſſimo Præſule (utinam adhuc meo), Patriarcha ampliſſimo, demum, faventibus Diis, æquis quibuſvis plaudentibus, nemine non approbante, Cardinali Eminentiſſimo Comite Ludovico Calino inſtitutam Orationem meam. Quid namque optatius mihi, ut exercitationis meæ in dicendo particeps ſingularis laus ejus aliquando fieret; ſi (ut ait Tullius) (a), *quoad longiſſimè poteſt mens mea reſpicere ſpatium præteriti temporis, & pueritiæ memoriam recordari ultimam, inde uſque repetens hunc video mihi principem & ad ſuſcipiendam, & ad ingrediendam rationem*

 borum

(a) Pro An. Lic.

borum studiorum extitisse? Hanc igitur gratiam par semper arbitrati sumus referre Ei, a quo hujusmodi disciplinam, & doctrinæ suæ exemplo, & methodi ratione, consilio, ac stimulis adjunctis comparavimus. Quapropter si per hanc artem cæterorum laudes, quantum licuit ingenio nostro, celebravimus; Hic jure suo fructum aliquem ex ea referre debuit, quæ, totum quod est, certe leve, Eum auctorem adjutoremque cognoscit. Verum si anteac facinus hoc suscepissem & hortando, & suadendo, ut maximum quóddam ornamentum tribueretur Ei, qui & magnitudine animi, & rebus præclare gestis esset jam optimè meritus, quis me temerè fecisse, non esset arbitratus? Nunc vero, dum nullo suadente, hortante nemine, dignus adjudicatus est, qui Purpura indueretur, & Bysso, quis non annuet, me laudantem quod optimè factum est, quod cuncti laudant, reprehendit nemo, jure fecisse? Id Brixiensis Patria, quæ in Adolescente optimæ spei tamquam in matutina luce diei advenientis collucentes radios auspicando permagnum quoddam præstolabatur: id Cremensium Civitas, quæ tamquam ineunte splendido die, sereno Cælo, meridianum fulgorem sibi pollicendo, hoc Pastore, fulgidum quoddam intuebatur: id Urbs Roma, quæ tamquam a meridiano aeris nitore labentis diei vespertinam lucem vaticinando, eo Patriarcha, ac Commendatore honoribus cumulatum prospiciebat: id Orbis, quo ejus nominis fama pervenit (quo enim non pervenit?), laudat, & est probaturus. Quæ cum ita sint, si is verus Dignitatum honor meritò prædicatur, quem Virtutes, & Merita pepererunt; pudeat fortunam ipsam, quæ sæpesæpius, secluso merito, ad altiores Gradus evexit innumeros, in CALINI novo splendore ac maxima Dignitatis excellentia nullam sibi licet minimam partem vindicare; quippe qui Virtutibus, & Meritis, omni prorsus seclusa fortunæ ope, unicè sibi tantam Gloriam comparaverit. Virtutibus, inquam, & Meritis in adolescentia, in qua omnem expectationem optimam præseferret: Meritis, ac Virtutibus ineunte ætate, qua communia Vota ipsi honoris cumulum precarentur: Meritis, & Virtutibus maturescente ævo, quo quis-

que,

que non invidus ipsi, ac Vobis acceptam Dignitatem concordi animo gratularetur.

Inutile procul dubio arbitrarer in LUDOVICI CALINI laudibus celebrandis paulisper immorari in serie recensenda summorum Virorum, qui perillustrem Domum vetustate generis, muneribus amplissimis, rebus preclarè gestis ornaverunt; cum veram prorsus nemo putet eam esse laudem, quam quis indiget ab alienis Meritis mutuari; nisi congruum admodum videretur de præteritis mentionem facere, quæ in præsens reviviscunt; atque in ejus magnanima indole Veterum expressam imaginem recognoscere. Siquidem ita eorum claris Virtutibus, facinoribus strenuis, negotiis maximis studuit conformari, ut non alienum ingenium duxisse ab Avis, non a genere illustri deneger extitisse, sed ad Majorum illustre exemplum compositus videretur. Quinimò Majoribus Major: quoniam his stimulis actus, iisque ductus Veterum disciplinis, quod in pluribus & singulis refulsit, studuit in se uno conflare. Is enim excellentium Posterorum sit animus oportet, nedum ut Generis amplitudinem æquet, sed gloria longè majori a certis finibus erumpens, contendat æmulari famam, ejusque terminos præterire potius, quam æquo gradu metiri.

Sic enim ejus Majorum effulsit illustre nomen, ut inter hujus Familiæ Veteres Cesius Calinus magnoperè resplendeat, qui in obsidione Damasci, cujus arces expugnabantur ab Imperatore Conrado, impatiens quod capta Urbs venire in potestatem hostium retardaret, scalas solus sine comitatu aptavit Munitioni; ac rapido cursu summum pertingens Aquilas Imperatoris locavit in Vallo, ibique defixit. Adeo supremò Duci placuit magnanimum facinus, ut concesserit eo uti Stemmate, Scala scilicet & Vexillo, quo adhuc utitur clara Domus, ne Virtutis memoria oblivione deleretur. Ita reliquit suis magnum animi argumentum, quem sequerentur, & Patriæ ornamentum, quo delectaretur.

Ac ut omittamus cætera, quæ strenuè Belli peracta sunt, aliud ornamentum a Progenitoribus ductum videamus. Siquidem Mutium Archiepiscopum Jadrensem e Calinia Familia

 prodi-

prodiisse, ne dum in ejus Fastis, atque Stemmate reperitur, verùm Tridentino Concilio interfuisse, idque juvisse consilio, doctrina, auctoritate, maxima & clara extant monumenta. Cum plurima id genus non lateant Brixiensem Patriam, quæ Caliniæ Domui lucem afferunt atque decus in Armis, Litteris, cæterisque muneribus amplissimis, supervacaneum putamus in Historia immorari diutiùs, quæ enim breviter diximus, facilem ad ea, quæ fusius sunt dicenda, parabunt viam.

Quis igitur esset futurus ac quantus a juventutis ejus susceptis institutis facilè conijciemus, dum a tantis Viris prodiens cum sanguine illustri magnanimum retulisse animum, ac nobilissimam indolem ausisse videbatur. Quam jucunditatem non attulit Parentibus, imo quam spem, dum cerneretur in ipso adhuc adolescentulo humanitas cum gravitate, comitas cum prudentia, cum hilaritate majestas, cum Litterarum studio perseverantia tanta ut ingenii ejus moderatoribus fieret perjucundus sociis, satis carus invidis, tantum molestus. Æmulus tandem præstantiæ, ignaviæ hostis ac otii, studiosiores contendit excellere; ex quo scatebat facilè, ne dum mentis acie coævos præstare, sed in exiguo, & imbecilli pectore inesse magnitudinem animi, ac robur Virtutis. Super hanc speciosam indolem animadvertens Cardinalis Baduarius Brixiensis Episcopus tum florens sanctissimis disciplinis, nec non sublimiore sapientia, sive futura prospiciens supremo Radio ictus vaticinio, sive ratione usus perspicaci arguens divinatione, prædixit ornatum juvenem in Cardinalitiæ Dignitatis Eminentia locatum fore.

Hæc agebantur, ut ita dicam, in Prætextæ: dignus equidem qui a concivibus suis vocaretur (ut quondam suus a Romanis ex Caligolæ Plebiscito Tiberius) Princeps juventutis. Cum ætate jucunda Dotes animi crescebant in dies, quibus gradu concito ad majora properabat. Quare, deposita prætexta, clericali Veste indui suasit princeps Virtutum, Religio ac Pietas. Ut vero animus iis Ornamentis potiretur, quæ Virum parant ad Dignitates obeundas, incæpto opus esse adjudicavit; & omni sublata mora Urbem Romam profectus est; &

Col-



Collegium Romanum ingreſſus mirum eſt quantum brevi lungum tempus expleverit in ſcientiis comparandis. Non tantum apprimè carus inter ſepta Collegii, verum ſummis Viris, atque Dignitatibus apprimè acceptus colebatur familiariter; inter quos remota proſpiciens, ac ſe te parans ad futura ſapientiores ſibi devicit, ac Potentiores. Hoc ſtudiorum genere excultus animos plurimorum lucratus eſt; quos inter amiciores, diutiùs Romæ immorari, quam decreverat, eo conſilio adegerunt, ut Præfecturæ Romanæ ſe dederet; quoniam tot tantiſque affluebat naturæ, & artis præſtantiis, ut magnam ſpem ſibi fore pollicerentur. Exitus tandem conſilium feliciter comprobavit. Felix mora, quæ eum Romæ detinuit! quoniam licet obſiſtente nimia juventute non tulerit tunc ad eminentiam Dignitatis, viam tamen non obſcuram, quæ maturo tempore premeretur, indubiè detexit: eas enim omnes artes ſcrutatus eſt, quibus Meritum, proindeque Dignitas comparatur.

His munitus præſidiis reverſus domum Lux quædam nova viſa eſt addi inclitæ Urbi, munus amicis, Parentibus gaudium, Præsuli verò & Clero adjutorium, & ornamentum. Præomnibus Eminentiſſimus Cardinalis tanti Viri captus Virtutibus conſilium cæperat iis, qui penes ſe eſſent, honoribus cumulare. Ornavit primùm Canonicorum cœtum, cum CALINUS inter Canonicos illatus eſt. Ecce primo initiatus gradu, ut via eſſet ad poſtremum paratior. Indiget auxilio, ut præſit quis auguſti Templi Ædificio, quod tum a fundamentis ſe ſe altius egerat? CALINUS præficitur: ac Munus vigilantia, ſolertia, ſtudio explevit egregie: non defuit Operi labore, proſpexit omnia, nihil neglexit. Indiget adjutorio, ut Catechiſmi Criſtiani maximum opus reſtauretur? CALINUS præficitur: non defuit curæ, incommodis, conatibus, quibus tanta floreſceret Diſciplina. Omen aliquod mihi videor videre in hac duplici præfectura ad Templum Dei, & Fidei rudimenta, quod tamen prætereo ſilentio, ne videar Vatis potius explere partes, quam Oratoris. Indiget conſilio in rebus arduis? CALINUS exquiritur: non defuit prudentiæ, maturitati, ſapientiæ. His artibus animos devicit omnium, & multorum ſtudia eſt aſſecutus.

 Meri-

Meritum tanti Viri jam eo devenerat, ut honores hucusque relati non satis esse viderentur. Propterea novus aperitur aditus, per quem altiorem Gradum ascendens, & sic crescente copia Meritorum facili negozio ad eminentiores progrederetur.

Faustinus Joseph Comes Grisonus a S. Angelo jam ad postremum dierum deveniens, ab hac Cremensi Episcopali Sede ad meritorum præmium accitus hanc lucem reliquerat beato Lumine fruiturus. Pendebat animis Clemens XII. In eligendo, qui damna hujusce Diœceseos ita reficeret, ut jactura recens, quæ tantum mœrorem invexerat, repararetur; quique communem ita leniret dolorem, ut ad pristinam vexatos animos revocaret tranquillitatem. Videbat enim permagnum munus ac gravissimum pondus imponi ei, qui tanto prædecessori adveniebat, quocum æmulatione Virtutum esset decertandum: comparatio siquidem Virtutis ad Virtutem, Meriti ad Meritum, honoris ad honorem aptiores percellit animos acrioribus incitamentis; ac demum in maximo se esse discrimine quis facile sentit. Tandem convertens oculos in collucentia Calini promerita, ac ingenii Dotes, non longe abfuit ab optimo consilio, eum ad gravissimam curam deligendo: unum Ipsum secum reputens certe idoneum, qui comparationis pondus immane validis viribus sustineret. O præclarum consilium, ac prope divinum! Quantam tibi gratiam habuit Cremensis Ecclesia, cui ita provide consultum est te Auctore, ac in tanto beneficio accepto muneratore! Porro dilucide in suo felicissimo ductu Calinus significavit, ultra tuæ mentis mensuram longe majorem extitisse, quam sperabatur. Non solum enim Præcessorem in integrum æquavit quo ad ea, quæ conducunt ad sancte beateque vivendum, verum in iis anteivit, quæ ad cujusvis ordinis societatem conferunt, id est studio, vigilantia, consilio, in rebus agendis ratione, sapientia in disponendis, peritia in politicis, alacritate in difficilibus: fuit denique par pietate, major consilio; liberalitate par, alacritate major; par studio Virtutis, major ingenii acie, ac mentis præstantia.

Primum attulit de hoc argumentum in iis discussionibus, quibus

bus utitur Romana Curia in probandis illis, qui ad Epiſcopale munus deliguntur. Tanta enim Canonum peritia, tanta Theologiæ ſubtilitas, tanta Traditionum affluentia prodiit in palam, ut Præſides capti copia ſententiarum exclamaverint, ſe in hujuſmodi arena nunquam tantarum mentis virium diſceptantem audiviſſe: ex quo factum eſt, ut probationem præcederet gratulatio. Jam fama magni nominis Sapientiæ, & Pietatis hucuſque perlata erat; & optabamus ut eum non laterent vota noſtra, quibus impatiens quiſque jucundiſſimam ejus præſentiam præſtolabatur. Memorabilis dies in Faſtis hujus Urbis ſignandus tandem advenit, qui ſerenior effectus mœroris caliginem in lætitiæ ac exultationis hilaritatem commutavit.

Quam admirationem ejus ſapientiæ, eloquentiæ, & majeſtatis non attulit illa dies lætiſſima Paſchæ, cumprimum Pontificiis ornatus inſigniis Cathedram aſcendit, ac ad Populum illam robuſtiſſimam Concionem habuit, cujus & robur Orationis cum ſuavitate conjunctum, & copia ſententiarum omnium rapuit animum, atque demulſit? Ad hunc locum liceat de cæteris Homiliis ejus plura perſtricte commemorare; ne ad hoc idem, quod ſemel tetigimus, rurſus redire videamur.

Non latebat enim ſapientiſſimum Præſulem, onus paſcendi Gregis in Doctrina ſana eſſe humeris Paſtorum forte primum & maxime formidandum. Ab eo negligendo Calinum deterrebat væ illud divinis in Libris illis Paſtoribus pronuntiatum, qui paſcebant ſemetipſos. Perinde ac ſi ſibi uni eſſet indictum ſolemnibus feſtis diebus ab Oratione vehementi & ſuaviſſima numquam abſtinuit; tantaque conveniebat frequentia Populi, ut in Templo cæterum capaci deeſſet ſpatium, ac manere extra limina cogeretur. Quoties me hanc admirante piam Cremenſium anxietatem, mens coegit ad recordationem Romanorum, qui matutina luce certatim ad Theatra properabant, ne ſibi ſedes, neve ſpectaculo privarentur.

Non ſuſtinuit ſollicitudinis vim Paſtor impatiens, quin illis remediis quamprimum manum afferret, quorum Gregem indigere arbitraretur. Ad inviſenda igitur Delubra omnia Urbis

ſe contulit citocitius, quam peracta integram Diœceſim luſtravit accuratiſſimè. Mirum eſt quanta egerit, quantum laboraverit, quæ perfecerit! Omnia proſpexit, omnia periclitatus eſt, ut tollerentur abuſus, qui invaluerant, corrigerentur coruptelæ, quæ irrepſerant, reſtauraretur diſciplina, quæ corruerat. Dux ipſe in omnibus: piiſſimis concionibus præibat omnes: primus in rudimentis fidei explanandis, in Confeſſionibus audiendis, in reliquis Sacramentis adminiſtrandis. Mirum eſt quanta humanitate ſit uſus, ac tollerantia in deviis ab impiorum via revocandis, quanta diligentia ignaris erudiendis, quanta jucunditate optimis confirmandis. Jucundiſſimum viſu in Catechiſmo Fidei tantam cernere majeſtatis gravitatem inter puerulos verſari familiariſſime, erudire, monere, ſuadere, ut ſummum Bonum diligerent, colerent, vererentur. Jucundiſſimum viſu inter pauperes cernere tantam dignitatem verſari velut inter amicos, eoſque ſolari, eis opem ferre, addere animum, fore ut vexata caro, & infelix humanitas poſt ærumnoſæ vitæ curſum requieſcat: quo in ſpe futuræ felicitatis erigebantur. Jucundiſſimum viſu tantam cernere animi integritatem inter obduratos verſari diutius, & peccati turpitudine propoſita pulcritudine virtutis per vim orationis tenacem nexum infringere, ac a ſcelere deterrere. A labore tandem non prius ceſſavit, quam incondita excitaverit, diruta reſtauraverit, reſtaurata perfecerit, perfecta oxornaverit, exornata vero firmaverit ad perennitatem: uno verbo, enixe contendit, ne quid remaneret infectum, ut eſt in laudibus Cæſaris:

(a) Nil reputans actum, ſi quid ſupereſſet agendum.

Statu igitur integre diœceſeos explorato, ſupererat per Leges iis remedium afferre, quibus in præſentiarum commodè ac perſeveranter præſto eſſe non poterat. Synodum igitur indixit, congregavit, perfecit, ita providis ſtatutis elaboratam, ut nil reliquum eſſet, quod optaretur. Si labor tantus a noſtris laudibus exornatus eſt, mirificis eſt celebratus apud Romanos: quoniam Romam delatus, ab illis Viris in Legibus, & ſtatutis peri-

(a) Luc. Ph. l. 2.

peritissimis dignus judicatus est sapientissimo Præsule, ac de Ecclesia benemeritus. O gens sancta, quæ iisdem legibus undequaque conformaretur! O Regale Sacerdotium, quod illius institutis esset compositum! O Filii Excelsi omnes, qui a tam integro ductu non aberrarent!

His legibus non defuit vigilantia, ne tanta disciplina labore ac studio parta rueret adhuc, vel mores tanta cura revocati rursus in licentiam prolaberentur. Quapropter si necesse fuit monere ut legibus obtemperaretur, qua humanitate! Si minitari, qua rigoris & suavitatis temperantia! Si in transgressores animadvertere, qua justitiæ & clementiæ convenientia! Ita sane ut multus esset ac facilis in beneficiis largiendis, parcus simulque serus in pœnis inflingendis quam maxime. Integro enim hoc principio ducebatur, ne quis auctoritati per metum & pœnas subjiceretur, sed per Benevolentiam: Regula indubiè potissima, ut in suo jure diu leges teneantur. (a) *Malus enim* (ut ait Tullius) *est custos diuturnitatis metus: contra Benevolentia fidelis vel ad perennitatem.*

Quocirca non præmaturæ pœnæ lapsum illico comitabantur, nisi adhibitis antea humanissimis monitis, iis vero aliquoties repetitis, addita semper gravitate majori, donec desperata emendatione cogeretur animadvertere in noxios; idque si præstare adigeretur, semper in lapsu magni momenti, numquam in rebus parvi negotii, ægro animo, sejuncto, iracundia eliminata, ne ignarus Sacrorum Canonum, neve auctoritate abuti merito putaretur. Ex quo sæpe numero factum est, ut nocentes capti tantæ humanitatis illecebris libenter resipiscerent, Isque libentius rigori parceret. Res mira equidem, quod nulli esset invisus, ne illis quidem, quos ipse redarguit; & acceptus cunctis, etiam illis, qui pœna mulctati sunt!

Qua vero domo uteretur, edocebo paucis: ornata equidem quantum decuit Episcopo in omnibus moderatissimo. Primum enim ædium ornamentum id esse arbitrabatur, quod in Domini virtutibus & meritis situm est, & ab ejus dignitate de-

du-


a) Off. l. 2.

ductum. Ita Cicero: *Ornanda est Dignitas domo, non ex Domo Dignitas tota quaerenda est: nec domo Dominus, sed Domino domus honestanda est*. Quapropter abstinuit gravibus impensis ampliare domum, ne a murorum structoribus jura pauperum violarentur. Quod censebat dignum Episcopo, id erat, ornare domum frequentia Virorum sapientum, summa pietate adjuncta, quibuscum summopere delectabatur inire amicitiam & familiaritatem, quam semper retinuit, & custodivit tum necessitudine virtutis, cum integritate officiorum. Hujusmodi consuetudo mirifice profuit, ut adeo praemineret: optimorum enim amicitia ad altiora pervehuntur mortales; ne discedamus a Tullio: (a) *Ut quoniam solitaria non posset virtus ad ea, quae summa sunt, pervenire, coniuncta & consociata cum altera perveniret; quae si quos inter societas aut fuit, aut est, aut futura est, eorum est habendus ad summam naturae bonum optimus beatissimusque comitatus*. Ecce quibus artibus Eminentiam Virtutis, proindeque Dignitatis est assecutus.

Sic domi parta honestate atque decore, ad ea quae forinsecus studium ejus postulabant animum convertit. Ædes igitur Alumnorum, in quibus scientiarum elementa comparantur & morum instituta, novas a fundamentis excitavit ad decus & commoditatem aptissimas, simulque veteres sic amplificavit, quas incompositas ordinavit, minime vero quodam genio novitatis ordinatas subvertit. Quid hoc iis curis comparatum, quas erudiendis Alumnis in palam fecit? Praefecit ipsis doctissimos, piissimosque morum moderatores, totius Cleri lumina maxima, primum decus Ordinis, & pro meritis honore dignos ac reverentia. Quem subinde delectum Virorum ad erudiendam in scientiis juventutem non vidit Urbs nostra? A remotis regionibus clari nominis Theologos advocavit. Mediolano P. Lucchium, qui a Cremensium Civitate, Theologico curriculo functus, ad Patavinam Academiam demigravit, perillustre Cathedrae munus suscepturus; eoque usus est familiarissime Cardinalis REZONICUS nunc PONTIFEX MAXIMUS. Verona

---

(a) De Am.



na P. Patuzium, qui Quæsitor Generalis Cremæ obiit præmatura morte ab omnibus adhuc desideratus. Ab Augusta Taurinorum P. Fabricam, qui confecto munere, suæ Provinciæ Præfectura fuit condecoratus. E Bononia P. Ferrarium, qui de Rep. Litteraria est optime meritus; quod auxerit novo Systemate Philosophiam, Bibiliothecarum ornamentum. His artibus florentem Clerum sibi peperit, solitus suas delitias gaudium coronam decus ornamentum nuncupare. Proh boni Dii! Memores adhuc tantæ benevolentiæ & humanitatis, in quibusdam anfractibus constituti quoties repetivimus summæ ejus bonitatis argumenta: dixit, fecit, fuit. Scelus equidem esset immane Eum non diligere, venerari, & itidem desiderare, si desideria non cohiberet ejus Dignitatis Eminentia, ac non dedeceret tantam amplitudinem in sede adeo angusta versari; tantam præstantiam inter immeritos.

Quos Canonicos sibi ex Clero universo delegit? Certè graviores, & Doctrina ac Pietate principes. Adeo erat inter utrosque vicissim jucunda præsentia, ut communicatis consiliis, ac officiis mutuis familiaritas maxima teneretur. Quoniam sic inter domesticos gerebatur, non impar in delectu quoad forenses Præfectos. Morum integritas, prudentia, in Theologicis rebus peritia molestis ac invisis officiis anteferebatur. Quapropter florentes erant eæ disceptationes Ethicæ Theologicæ ad quas in singulos Menses Clerus congregabatur. Præter copiam sententiarum, quæ ibi pronunciabatur, addebat splendorem concio eloquentissima, quæ in Ecclesiasticis Disciplinis a Canonico Jure & Traditione desumptis eruditissime versabatur. Complebat autem hujus sessionis decus Præsul ipse, qui difficiles nexus problematum facile solvebat, & arduas plane definiebat difficultates.

Ea vero semper erit gratissima recordatio, dum prodiret in palam: Si in Templum Pontificiis ornatus insigniis, quæ Majestas sacrificiorum? Si in vias, quæ gravitas incessus? Si in Hospitalia, quæ admirabilis decoris, & dignationis convenientia? Si in mapalia pauperum, quæ mira eminentiæ & humilitatis temperantia? In Templo receptus, frequentia Populi

lætis-

lætissima septus eminebat magis opinione virtutis, quam hilaritate vultus, ac serenitate oculorum. In viam paratus ad limina domus circondatus a corona frequentissima pauperum, magnum hauriebat oblectamentum suis largitionibus magis, quam alienis laudibus, & gratiarum actionibus. Dum vero progrederetur, semper in caudata veste, & Canonico habitu, pedissequis gravissimis Viris comitatus, ne Dignitas, & Auctoritas obscuro amictu negligeretur. In Xenodochiis concioni suadenti ad miseriarum tollerantiam largitione addita liberali æque miseros solabatur, ac jucunda præsentia. In mapalia ingressus ægros levabat non tantum pecunia quam humanissimis Caritatis significationibus.

Et quoniam eam esse arbitrabatur naturæ inditam vim, idest a beneficiis non abstinere: cum (a) *beneficentia nihil sit naturæ humanæ accomodatius*, cæteris pauperibus levandis summopere delectabatur, nullo modo, ratione nulla cohibente, quin in hac parte tantum esset effusus, quantum in reliquis moderatus. Qua de re non solum opificibus largus supra mercedem pactam, præcipue si quamdam præseferrent speciem paupertatis, ne suspicione avaritiæ parum æquus, verum immodicus in reliquos egenos, ne labe fraudis eorum, quæ pauperum, sunt affectus videretur. Hoc more ductus non satis putabat illis plurimis, qui auxilia reposcebant, largiri; verum ultro pauperes scrutabatur, quibus Ejus ope & largitione opus esset: præcipue vero eam curam gerebat animo, ut nulla eum lateret familia, quam ex Urbano genere puderet paupertatis, aut pudor domi cohiberet; ne nova calamitate per publicum quæstum premeretur, harum singulas clandestina liberalitate recreabat.

In his confiniis non tenebatur Ejus beneficentia: enim vero hyemali tempestate pigebat miserescentem Pastoris animum videre pauperes pro gelu contractis artubus per vias repere a necessitate coactos, quo viverent sibi adsciscere. Quare summo mane usque ad vesperas jusserat parari ignem in ædibus suis, ibique excipi quoscumque, qui hoc levamine indigerent, ac calefi-

(a) Tull. de Off. l. 3.



lefieri; & ne per diem reverti cogerentur, prunis injectis in vafcula, quantas opus effet inde deducere: idque in fingulos dies, donec tempeftatis rigor mitefceret. Romam ufque fecum attulit hanc erga nos benevolentiam, et liberalitatem: nullus enim noftrum, qui illuc perveniret, & ad Eum accederet, difpenfabatur, quin propriis Laribus fieret hofpitii particeps, donec Romæ maneret; eique humaniffima officia præftabantur, quibus Eo adjutore, quod contendebat affequeretur. Demum omnes, quos putabat fuæ largitionis indigere, tanta pecunia donabat, quantam requiri pro viatico reditus arbitrabatur. Ut paucis multa perftringam: tanta erat magnitudo largitionum, ut conftans opinio fit, bina millia æris fignati, quod in fingulos annos capiebat jure Dignitatis, invafiffe liberalitatem in pauperes; Ipfum autem pro re domeftica eam partem adhibuiffe quotannis a domo repetitam, quæ paterno jure fibi debebatur. O beatum Pontificem, quem non momordit confcientia fcelleris, fcilicet de raptis Chrifto & pauperibus Nepotum auxiffe fortunas!

Sed ad nos revertamur. Lætiffimum recordari, dum incederet per flexus viarum cujuslibet ordinis viros intueri prodire domo, ac propere opifices ipfos ab officinis emergere, neglecto labore, ne religiofæ pietatis fignificatione, genuflectendi fcilicet privarentur; & fic defcendentem in alium Xyftum hujufmodi capere honoris argumenta, donec domi reciperetur. Maxima virtutum copia ac meritorum hanc obfequii diligentiam confequta eft, ac obfervantiæ.

Quæ & quanta funt, quæ ad majorem pietatis, & Religionis cultum invexit? Et meritum eft, illas pias exercitationes introduxiffe, ad quas omnes Ordines, Sacerdotes primum, deinde Nobiles Viri, poftremo Cives pænitentiæ caufa ad plures dies congregabantur. Ei meritum eft illam, celebritatem fanxiffe in fingulos labentis anni poftremos dies, quibus adveniente vefpere frequentia populi Templum ingreditur, concioni adfutura gratum animum excitanti in temporum Moderatorem maximum, & beneficiorum Largitorem optimum; hymnoque dicto Gratiarum actionis, & Supremo Numini in Throno

no Gratiæ collocato, gratiis eorum jure debitis persolutis, periodus anni clauditur religiosissimè. Sero nimis finis esset inceptæ Orationi, si vellem singula recensere. Ea supersunt recensenda, quæ non magis sunt indolis Ejus, quam virtutis.

Dum solus secum ageret, mersus semper in profunditate consilii super iis animadvertens, quæ conducunt ad justitiam, conferunt ad prudentiam, juvant pietatem, adversantur licentiæ, tuentur leges, mente ac animo versabatur, eaque meditabatur, quæ sunt ad communem religiosæ vitæ felicitatem. Meritò possemus de eo id repetere, quod de Scipione Africano Julius (*a*): *Numquam minus solum, quam cum solus esset, nec minus otiosum esse, quam cum esset otiosus*. Dum vero in societatem rediret, jucundus semper; cum miseris facilis ad commiserationem, cum noxiis procul alienus ab iracundia, cum molestis patiens, temperans cum jucundis, cum reliquis tandem exemplar & imago virtutis. In difficilibus rebus numquam irretitus, in arduis numquam fessus, in adversis numquam fractus, in prosperis numquam elatus. Pudeat veterum Philosophiam, cujus Socrates, Leucippi, Cleantes, Epicteti, Panephii novum, quod discerent, in Ornatissimo Calini animo comperissent.

Heus nos miseros!.. Verum quo nos rapuit caliginosæ illius diei recordatio, qua hanc Urbem reliquit, ut navem sine nauta, velis, remige, fluctuantem? Parcant Dii, ad me revertor, Clara nimium, & serena fuit illa dies, qua Romam profectus est; & in fastis Caliniæ Domus connumeranda: hodie vero faustissima nobis, quoniam illuc transvectis a felici Nauta maximis mercibus meritorum, tranquillo Portu potius præmium retulit dignitatis.

Si libet hujus subitæ profectionis naturalem causam sciscitari; certè anceps: si altiorem; certè divinitus: si vero a me in re hac meam exquiritis sententiam; eam esse non diffiteor, scilicet quod amplissima tanti Præsulis merita manendo inter nos nimis angusto septo continebantur; erumperent aliquando neces-

(*a*) Off. l. 3.

necesse erat; proindeque Roma adeunda, & fortè citius, ut in oculis supremæ Ecclesiæ Potestatis facilius clarescerent, & ab Aulæ Proceribus noscerentur. In altiori Cælo Sidus hoc erat locandum; ne in angustia loci perstrictum lumen lucesceret paucis, sed insitum altius in Orbem effunderetur.

Non statim Romæ receptus est, quod parum interfuit spatii, quin tantæ Virtutis nitor in se omnium concitaret obtutus, & magnopere admirarentur. Primus omnium BENEDICTUS XIV., lumen illud totius Orbis, sapientiæ prodigium, maximusque cognitor meritorum, novit CALINI præclarum ingenium, magnum animum, sapientiam singularem, pietatem maximam: novit peritiam in Politicis rebus, prudentiam in gravibus, penetrationem in difficilibus, constantiam in arduis. Quare nil mirum si eo cœpit uti familiarissimè, si muniis plurimis condecoravit.

Quamprimum Antiochenus Patriarcha nuncupatus in ea Sede collocatus est (felix augurium), in qua Ecclesiæ magnificentissimum decus initium reportavit. Ut tanti beneficii maximum munus par gratia obsecundaret, quam diligentissimè studuit, ut hic honor obveniret Ei, qui largitus est; scilicet ne Dignitas male locata videretur: ajebat enim Cicero (a): *Benefacta male locata malefacta arbitror*. Quanta propterea Pontifici Maximo præbuit argumenta gratulandi sibimet collatam Dignitatem! Cetera Munera, quæ iterum, atque iterum ipsi contulit deinceps, id declarant dilucidè. Inter reliqua ea recensetur Præfectura, qua Apostolica Vicaria Auctoritate functus est in Virgines, quæ septis receptæ Deo Optimo Maximo virginitatem, animi candorem, libertatem, vitam denique castam devoverunt. Si in hoc munere vigilantia, sedulitate, labore, tollerantia, comitate, prudentia, pietate, sapientia, animique robore opus erat; quis CALINO aptior deligi poterat, qui his cæterisque ingenii præstantiis erat potitus? Si inexorabilis mors tantum Pontificem diutius reliquisset nobis & Orbi, hoc idem certè, in quo exultat Oratio

mea,

(a) Off. l. 2.

mea, citius esset assecutus.

Verum laudes sint immortales CLEMENTI XIII. Pontifici Maximo, quem divina largitio donavit Orbi, ut in lætitiam communem verteret tantæ jacturæ mœrorem: quoniam sicut in reliquis, ita in emeritis remunerandis par Præcessori suo, in eamdem sententiam ingressus est, id est CALINI meritum augere dignitatibus. Quare in hac versatus diligentia, ut amplissima sibi obveniret, statim ac nunciatum est Commendatorem Sancti Spiritus loco excessisse, sine mora CALINUM suffecit. Eamdem Hic pro accepto beneficio referre gratiam arbitratus est, quam retulit in cæteris; idest diligentia, labore, studio in explendo munere suo de Largitore optimo benemereri. Innumera sunt, quæ excogitavit, egit, complevit, non tantum ne inutilis, sed ut necessarius videretur. Illud solum commemorabimus, ad latus Xenodochii tantam ædium molem excitavisse adeo utilem, necessariam, ac eam magnificentissimam, ut merita sit nova Nominis excellentia nuncupari: *SUBURBIUM CALINUM*. Proh providum consilium, ac propè divinum! Ætas futura, & remotiora æva cogentur tanti Nominis recordari: & illac prætereuntes, & Suburbium vocitantes, quoties hac capta occasione commemorabunt quæ tantus Vir in memoriam reliquerit Posterorum? Plurima sunt Romæ, & alibi id generis: Via Appia ab Appiis veteribus condita vel aucta; Cornelia a Corneliis, Pons Xistus, Colonia Agrippina, quo factum est, ut hæc perseverarent Nomina ad perennitatem. Verum hoc maximum interest discrimen inter plurima veterum, ac novum hoc Monumentum posteritatis: In pluribus turpis fama, vel obscurum nomen revocatur ad recordationem; quia sæpè turpes, & caliginosi conditores; in hoc verò præclaro Monumento illustris reviviscet recordatio ex clarissimo Nomine Conditoris, & splendore virtutum, & gloria in rebus gestis, & magnitudine meritorum.

His igitur aliisque permultis promeritis, in oculis Romanorum, ac præcipuè Pontificis Maximi collucentibus, quis potuisset anteire CALINUM, ac valuisset excellere, quin primus in Cardinalium Collegium vocaretur? Id juremeritò placuit

CLE-



CLEMENTI XIII., vota bonorum optaverunt, Clerus Cremensis memor humanitatis ejus, ac beneficiorum jamdiù desideravit, virtutes ejus, ac merita cum summa nobilitate animi & Generis conjuncta exquisierunt, ne deesset virtus nobilitati, virtuti nobilitas.

Quare si de Eo nemo quæri potest, ut Nepos questus est in Trasybulo: *Nescio quomodo, cum nemo anteiret his virtutibus, multi nobilitate præcurrerunt;* videte, Ecclesiæ Principes, quem in vestris subselliis Dignitatis consortem habeatis. Illud maxime Vobis advertendum censeo: in maximis rebus agendis, in arduis negotiis gerundis, in gravibus curis sumendis Ejus uti consilio gravissimo, auctoritate, sapientia. Hoc Duce quantum spei relinquitur Vobis, ac toti Ecclesiæ, fidelis Orbis tranquillitatem, cujus maxima pars vestræ curæ demandata est, atque nititur, fore tutiorem!

Quoad me, faxint dii, ut tantum mortalis hujus vitæ luce perfruar, ut ipsum aliquando ad Summi Pontificatus Gradum, si supremo Numini placuerit CLEMENTEM XIII. (quem diu servet nobis) ad meritorum præmium, & a laboribus sedulis ad tranquillam quietem vocare, evectum auribus excipiam. Certe fortunatam vitæ meæ, licet ærumnosam, dierum seriem ac diuturnitatem putarem: exclamaremque, ut mihi videor, pro jucunditate nuntii, vixisse satis.

At vero quo ad Vos puto, hoc idem Vobis, ac ego sentio, pro Ecclesiæ bono universo, pro votis bonorum omnium, pro Dignitate vestra esse sentiendum. Propterea a Vobis opto, quoniam Deum Optimum Maximum ita velle confidimus, sic placet Superis, exoptant omnes boni, negotia Ecclesiæ Dei expostulant, & præstolatur fidelis Orbis hunc Pontificem Maximum colere, ac venerari; quoniam apud Vos est jus suffragiorum, ut Ipsum concordi consilio, unanimi Auctoritate, paribus calculis in suprema Petri Apostolica Sede vestris manibus collocetis.

F I N I S.

ERRATA			CORRIGE
Pag. 3	lin. 8	placatiorem illud	placatiorem, illud
5	13	deneger	degener
6	11	aufiſſe	hauſiſſe
ivi	16	perjucundus ſociis, ſatis carus invidis, tantum moleſtus	perjucundus, ſociis ſatis carus, invidis tantum moleſtus
ivi	28	Prætextu	Prætexta
ivi	35	incæpto	incepto
7	1	lungum	longum
ivi	29	Criſtiani	Chriſtiani
8	4	negozio	negotio
ivi	9	In	in
10	33	celebratas	celebratus
11	24	animo, ſejunćto	animo ſejunćto
ivi	25	nove	neve
13	7	delitias	delicias
14	3	circondatus	circumdatus
ivi	21	quæ pauperum, ſunt affećtus	quæ pauperum ſunt, affećtus
ivi	31	pro gelu	præ gelu
15	5	accenderet	accederet
ivi	28	Et meritum	Ei meritum
ivi	31	illam, celebritatem	illam celebritatem
16	11	Julius	Tullius
17	30	tollerantia	tolerantia
18	6	quæri	queri